

Psalmus 112

- 1 Laudate pueri Dominum:
laudate nomen Domini.
- 2 Sit nomen Domini benedictum,
ex hoc nunc, et usque in saeculum.
- 3 A solis ortu usque ad occasum,
laudabile nomen Domini.
- 4 Excelsus super omnes gentes Dominus,
et super caelos gloria ejus.
- 5 Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,
et humilia respicit in caelo et in terra?
- 6 Suscitans a terra inopem,
et de stercore erigens pauperem:
- 7 ut collocet eum cum principibus,
cum principibus populi sui.
- 8 Qui habitare facit sterilem in domo,
matrem filiorum laetantem.